

rio, similiter litteris consignandum; ac præcipiendo, quod, his omnibus absolutis, nequaquam liceat rem ullam in defuncti spolio repertam, vendere, aut alia ratione alienare, nisi postquam ecclesiæ de novo pastore seu rectore provisum fuerit, atque hic ejusdem ecclesiæ possessionem adeptus fuerit; quia possessione adeptus, præscribit regulas servandas ab ipso circa res in defuncti spolio repertas. Quicumque interim sede vacante, quocumque modo spolia illa administrarunt, vel administrationi præferunt, novo præsulis rationem reddere tenentur. Idem, *ibid.*, § 12.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. Beneficiariis nulla secundum canones est potestas disponendi causa mortis de fructibus beneficiorum tam collectis quam colligendis, rebusque sibi obventis ab ecclesia, vel pecunia beneficii comparatis, sed ipsi post suum decessum omnia ecclesiæ suæ restituere debent. Cap. final. *De pecul. cleric.*

(46. Nec de rebus patrimonialibus testari olim poterant clerici viventes vitam communem. Canon. *Nolo 12, q. 1.* (47. Post solutam vero clericorum communitatem, de rebus patrimonialibus ad libitum testari eis concessum, sed nequaquam de ecclesiasticis proventibus. Cap. 2, *De testam.*

(48. Post constitutam rerum ecclesiæ partitionem in episcopum, clericum, fabricam et pauperes, dubitatum fuit, an episcopus nomine ecclesiæ intelligeretur ad effectum succedendi. At Alexander III, in decretali ad capitulum Cassanense in cap. 22, *De testam.* definit, quod nomine ecclesiæ non episcopus, vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligatur, quæ rerum in hereditate clerici remansurarum debet canonicam distributionem et curam habere: ubi autem non est collegium, sed in loco defuncti unus est ordinandus, ipsemet successor eandem, sicut et alia ipsius ecclesiæ in Dei timore dispenset. (49. Et Bonifacius VIII, in cap. *Quia sæpe 50, De elect.* in 6, coherenter sanxit, ut bona a prælatis cathedralium et collegiarum dimissa, vel vacationis tempore obveniantia, in utilitatem dictarum ecclesiarum expendantur, vel futuris successoribus debeant fideliter servari, comminando in particulares occupatores pœnam suspensionis ab officiis et beneficiis.

(50. Nihil tamen minus consueverant episcopi bona clericorum decedentium ab intestato usurpare, sibi que vindicare, vel ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex consuetudine. (51. Privilegii monumentum habetur in cap. *Cum sibi 28, De verb. signif.* (52. Consuetudinem vero probavit Bonifacius VIII, in cap. *Præsenti 9, De offic. Or.* in 6. (53. Et hanc Bonifacii constitutionem probavit concilium *Constantiense*, sess. xxxix, sub tit. *De spol.*

(54. Interea que ortum suum sæculo xiii habuisse videtur reservatio spolia decedentium clericorum in favorem cameræ Apostolicæ. Innocentius enim IV primus omnium constituit anno 1246, ut si clericus

extunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus domini Papæ converterentur, ut Matthæus Parisiensis refert ad dictum annum 1246. Aliæ postmodum ab aliis Summis Pontificibus puta a Clemente VI, anno 1346, et ab Innocentio VI, anno 1332, conformes editæ fuerunt constitutiones.

(55. Quoniam vero aliqui in dubium revocabant, an bona et spolia prælatorum tempore obitus remanentia, ad cameram Apostolicam generatim pertinerent ex aliqua generali constitutione Apostolica, propterea quod collectores in variis, sed non universis provinciis Romani Pontifices destinassent; Paulus III tandem, anno 1541, Bullam edidit, quæ incipit *Romani Pontificis providentiam*, declarantem bona hujusmodi prælatorum sine facultate testandi decedentium ubicunque ad cameram Apostolicam spectare, et per collectores Apostolicos exigere debere.

(56. Hanc constitutionem confirmavit et declaravit Julius III immediatus successor, anno 1530, in Bulla cui initium: *Dudum ex certis*, quibus præscripsit fructus beneficiorum exactos, et cum reliquis clericorum bonis profanis commistos ac incorporatos, ad liberam beneficiorum dispositionem, ubi a Sede Apostolica obtinuerint indultum disponendi, spectare; fructus vero tam inexactos, quam non commistos ad cameram Apostolicam reservari debere in locis, ubi collectores adsint Apostolici. Ad clericorum autem hæredes profanos, sive ab intestato sive ex testamento vigore quarumcunque facultatum condito, aut legatarios nequaquam pertinere fructus maturatos in ipsorum clericorum vita, sed non exactos.

(57. Idem Summus Pontifex anno 1530, in Bulla quæ initium habet: *Cupientes*, quibusvis prælatis et ecclesiasticis urbem Romanam incolentibus, vel curiam sequentibus, liberam facultatem indulsit, si in dicta curia et districtu decesserint, disponendi et testandi de quibuslibet rebus intuitu etiam ecclesiæ quæsitis in favorem quarumlibet personarum, nec non transmittendi res easdem ecclesiasticas ab intestato ad suos legitimos successores. (58. Deinde anno 1533, ad se advocavit causas spoliatorum coram aliis quam thesaurario Pontificio, ejusve ministris pendentes, easque eidem thesaurario commisit generali spoliatorum in tota Italia collectori.

(59. Fuerunt et aliæ constitutiones circa eandem materiam latæ ab aliis Summis Pontificibus, scilicet S. Pio V, anno 1560, 1564 et 1667, Gregorio XIII, anno 1577, Innocentio XII, anno 1693, et Benedicto XIII, anno 1726.

(60. Hic vero prætereundum haud est, sub Sixto V, ortum habuisse transactiones spoliatorum inter nuntium Pontificium nomine Curie Apostolicæ, singula fere capitula civitatum et diocesium regni Neapolitani, et pleraque Italiae, hoc pacto initas, ut solum quotannis conventa pecuniæ quantitate in favorem cameræ, possessores beneficiorum, eorumque profani hæredes exem-

pli sint a spolio, præter quam in casu illicitæ negotiationis. Vigore igitur harum transactionum beneficiarii fere omnes, qui annuam summam pro transacto spolio persolvunt subcollectori cameræ Apostolicæ, bona intuitu ecclesiæ quæsitæ, et fructus

SPONSALIA.

SUMMARIUM.

1. Sponsalia et sponsus unde dicantur? — 2. Sponsalia tripliciter potissimum sumuntur, et quomodo? — 3. Sponsalia proprie accepta definiuntur. — 4. Ad valorem sponsalium de futuro plura requiruntur. Primo, requiritur quod promissio futuri matrimonii sit vera, ac seria, et non ficta, seu simulata. — 5. Affertur et solvitur instantia. — 6. Ficta, aut simulata, seu jocose, vel dolose tantum promittens alteri matrimonium, quamvis in foro interno non teneatur servare tale promissum, peccat tamen sic promittendo, et tenetur resarcire totum damnum alteri inde secutum. — 7. In foro autem externo quis præsumitur vere, et serio promississe; unde ad servandum promissum debet condemnari, nisi legitime fictionem, seu simulationem, aut jocum, seu dolum probet. — 8. Secundo, ad valorem sponsalium requiritur quod promissio sit deliberata, et libera ab omni gravi metu et errore circa personam. — 9. Tertio, requiritur quod talis promissio sit verbis, aut aliis signis externis sufficienter manifestata. — 10. Quarto, requiritur quod promissio sit mutua et reciproca ab utraque parte facta. — 11. Quinto, requiritur quod sponsalia contrahantur inter personas de jure habiles. — 12. Ætas legitima requisita, et sufficiens, tam in femina quam in masculo, pro contrahendis sponsalibus, est septennium completum. — 13. Unde sponsalia ante completum septennium unius aut utriusque ordinariæ sunt invalida, et nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, nisi liberi facti septennio majores, ea ratificent. — 14. Adducitur et solvitur instantia. — 15. Extraordinarie tamen possunt etiam talia sponsalia esse valida, si nempe in aliquibus malitia suppleat ætatem. — 16. Si duo impuberes septennio majores sponsalia contrahant neuter ab illis ante pubertatem resilire potest; bene vero post illam. — 17. Nec in tali casu qui primo sit pubes, tenetur alterum expectare, donec etiam ille pubescat, sed potest statim ac pubescit pro libito resilire. — 18. Si autem pubes cum impubere contrahat sponsalia, tunc pubes non amplius resilire potest; bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit. — 19. Impubes, quamvis possit, cum ad pubertatem pervenerit, a sponsalibus resilire, tamen debet statim pubertatem adeptus, id facere. — 20. Facultas resiliendi a sponsalibus impuberibus a jure concessa post adeptam pubertatem, habet locum, tam in foro interno, quam in foro externo. — 21. Talis facultas resiliendi a sponsalibus probabilis non est censenda concessa impuberibus, si ipsa sponsalia juramento confirmaverint, quamvis tamen opposita sententia sit probabilis. — 22. Sponsalia de presenti, seu matrimonium ab impuberibus nulliter contractum, valet in vim sponsaliorum, seu transit et resolvitur in sponsalia de futuro. — 23. Matrimonium autem nullum ex aliquo essentiali defectu, ut celebratum sine proprio parrocho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. — 24. Ad valorem sponsalium non requiritur presentia parrochi et testium. — 25. Item ad valorem sponsalium non requiritur consensus, aut consilium parentum, aut eorum sub quorum cura existunt sponsalia contrahentes. — 26. Ut licite tamen contrahant filii sponsalia, requiritur saltem, ut prius desuper consulant parentes, quamvis eorum consilium non semper sequi teneantur. — 27. Parentes contrahere

beneficiorum jam collectos, et exactos ad hæredes profanos ab intestato transmittunt, et de iis pro libito disponunt ac testantur.

(61. In locis igitur, in quibus transactio spolia confecta non sit, datur locus ipsi spolio.

possunt sponsalia pro suis filiis puberibus, sive impuberibus, et si ipsi filii expresse, vel tacite consenserint, obligantur ad illa, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. — 28. Parentes, nedum contrahere possunt sponsalia pro suis filiis presentibus, sed etiam pro ipsis absentibus, et sponsalia ignorantibus; et si ipsi filii post scientiam dicta sponsalia ratificaverint expresse vel tacite, ad illa obligantur. — 29. Sponsalia contracta a parentibus pro filiis, sive presentibus, sive absentibus, aut ignorantibus, et nec expresse, aut tacite consentientibus, et a fortiori contradicentibus sunt invalida, et nulla. — 30. Item invalida, et nulla sunt sponsalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus, seu ab aliis injuste incussum. — 31. Talia sponsalia ex gravi metu inita neque firmanentur juramento. — 32. Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatione, aut absolutione. — 33. An sponsalia contracta per metum reverentialem sint invalida et nulla. — 34. Sponsalia contracta per metum levem, etiamsi injuste incussum, sunt valida. — 35. In foro externo generaliter loquendo, nisi aliunde de intentione constet, censenda sunt contracta vera sponsalia per illa verba, quæ juxta communem intelligentiam, et communem loci usum, aut consuetudinem loquendi, veram promissionem futuri matrimonii significant. — 36. Assignantur in specie verba certo significantia et importantia sponsalia. — 37. Assignantur verba certo non sponsalia sed matrimonium significantia. — 38. Assignantur verba sub dubio constitutiva sponsalia, nisi major expressio addatur. — 39. Hæc verba *Non ducam aliam, seu nullam aliam ducam, quam te, vel præter te, aut nisi te*, probabiliter non faciunt sponsalia, nisi aliquando ex circumstantiis aliâ intentione constet. — 40. Non solum verbis, seu epistolis similia verba continentibus, sed etiam signis seu factis consensus internum exprimentibus sponsalia contrahuntur. — 41. In foro externo generaliter loquendo sponsalia contracta esse censentur, ac præsumuntur per illa signa seu facta, per quæ, concurrentibus circumstantiis juxta communem intelligentiam, ac usum et consuetudinem loci voluntas, seu sensus internus contrahendi exprimi et manifestari solet. — 42. Sic concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, seu verbi unius, censentur et præsumuntur contracta sponsalia per immissionem, seu donationem, et receptionem annuli. — 43. Item concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per remissionem, seu donationem et acceptationem aliorum munerum juxta morem sponsorum censentur et præsumuntur contracta sponsalia. — 44. Item in simili circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, et ab altero sine renitentia et contradictione acceptatam censentur, et præsumuntur contracta sponsalia. — 45. Per omnia autem supradicta, si non concurrat circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, nec ad hoc speciale quid habet consuetudo loci, non censentur, nec præsumuntur contracta sponsalia in foro externo. — 46. Quando verba, signa aut facta, omnibus consideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera sponsalia, vel non? et qui ea protulit, aut edidit, negat ea protulisse, aut edidisse intentione promittendi matrimonium: tunc judex debet negantem absolvere, præsertim si ei delato juramento purgatorio, juret absolute non habuisse talem



intentionem. — 47. Quando vero verba, signa aut facta secundum communem usum aut consuetudinem loci sunt clara et sponsalia vere significant, tunc negans conderari debet, nec debet admitti ad iuramentum, quamvis dicat se ad obtinendum usum corporis, vel ob alium similem finem jocose, fecte, dolose aut fraudulenter prodidisse seu edidisse, nisi iocum, fictionem, dolum aut fraudem legitime probaverit. — 48. Quando verba, signa aut facta clare significant sponsalia, et reus absolute negat, se ea protulisse aut edidisse, nec actor id plene probare potest, quid in tali casu facere debeat iudex, et cui iuramentum sit deferendum? — 49. Sponsalia vera, quamvis occulta, obligant sub mortali. — 50. Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo, nisi iusta causa excuset. — 51. Et procedit conclusio, quamvis in hoc casu pars altera non urgeat. — 52. Unde, si ratione culpabilis moræ unius altera pars aliquod damnum patitur, debet illud damnum ei penitus resarcire. — 53. Si autem intervenerit aliqua rationabilis causa, possunt licite sponsalia differri quoad effectuationem matrimonii. — 54. Si nullum certum tempus sit præfixum ad contrahendum matrimonium, tenetur quisque contrahere, altero exigente, quamprimum commode potest. — 55. Recusans post legitima sponsalia contrahere matrimonium, potest et debet ad id compelli per competentia juris remedia, nisi rationabilis causa obstiterit. — 56. Et conclusio procedit, sive sponsalia fuerint iurata, sive non. — 57. Pro compellendo tali renuente contrahere matrimonium debet iudex ecclesiasticus ante omnia ipsum renuentem debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut suæ obligationi satisfaciatur, promissum matrimonium contrahendo. — 58. Deinde si monitione, et minis iudex ecclesiasticus nihil proficiat cum tali renuente matrimonium contrahere, potest etiam adhibere nedum pœnam pecuniariam, sed et carceres, aut alias pœnas corporis afflictivas, si eas adhibendi occasionem habeat. — 59. Et si nec etiam incarceratione, aut aliis pœnis corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc potest et debet renuentem etiam censura excommunicationis ad nubendum compellere. — 60. Si autem episcopus, non adhibita incarceratione aliisque pœnis corporis afflictivis, statim censuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum matrimonium talem renuentem, illicite quidem, sed tamen valde aget, et censuræ sic statim inflictæ valebunt. — 61. Si tandem, adhibitis omnibus supradictis mediis, etiam censuris, adhuc renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si adverteretur magna animorum aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timenda iurgia, scandala, verbera, mutilationes, perpetuæ inimicitia, aut alia similia gravia incommoda. — 62. Nec quid novi induxit circa id concilium Tridentinum, sed in suo robore reliquit dispositionem juris canonici de non cogendo finaliter ad nubendum talem renuentem nubere. — 63. Unde recusans matrimonium contrahere post sponsalia, potest quidem moneri, et iuxta sacrorum canonum præscripta compelli comminatione censurarum, non autem potest præcise cogi, et potissimum ubi adsit aliqua iusta causa resiliendi a sponsalibus; quo casu iudex potest quidem monere, ut ad effectuationem matrimonii deveniat, non autem potest cogere neque per censuras, et præsertim si timeatur quod censuræ sperni possint, vel quod per matrimonium coacte initum gravius malum oriri possit. — 64. In tali enim casu potest iudex omnino abstinere a censuris, si prudenter prævidet, quod illæ nihil efficiant, uti prævidere potest, si animi aversio nimia dignoscitur. — 65. Et in casu, quo talis renuens matrimonium effectuare, fuerit ob id excommunicatus, tunc iudex ecclesiasticus, non solum sponsum petentem absolutionem absolvere potest, postquam diu stetit excommunicatione inno-

datum, sed eundem etiam non petentem absolvere tenetur. — 66. Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus absolvatur, regulariter solet esse illud unius anni, quamvis Rota in particularibus facti circumstantiis censuerit esse 16 vel 17 mensium. — 67. Nec in tali casu poterit licite sponsa adhuc urgere negationem talis absolutionis a censura. — 68. Poterit tamen sponsa licite iure exigere compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione. — 69. An autem pars innocens, etiamsi nullum damnum patitur, possit ab altera parte sine legitima causa a sponsalibus recedente exigere pœnam conventam? seu an sit licitum et validum in sponsalibus apponere pœnam solvendam ab illo, qui ab eis injuste recedit? Negant multi. — 70. At probabilius affirmant plures alii. — 71. Affertur ratio pro sententia affirmativa, ad n. 74. — 75. An et quando resiliences a sponsalibus amittant arrhas? — 76. Sponsalia rite contracta, variis iustis de causis, dissolvi possunt. Primo, sponsalia puberum etiam iurata, valide et licite dissolvi possunt mutuo consensu. — 77. Secundo, dissolvi possunt per recessum unius a sponsalibus, sive iuste, sive injuste. — 78. Quando autem una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem cogere ad sibi nubendum. — 79. Tertio, dissolvuntur, si unus sponsorum sine licentia alterius longius recedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi. — 80. Affertur, et solvitur instantia, ad n. 81. — 82. Quarto, dissolvuntur per dilationem nimiam matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem. — 83. Secus autem per dilationem ultra tempus vel terminum præfixum non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exsequendam obligationem contrahendi matrimonium. — 84. Quid si nullum tempus sit præfixum ad contrahendum matrimonium? — 85. Quinto dissolvuntur per ingressum in religionem professione secuta. — 86. Per solum etiam ingressum in religionem, licet professione nondum secuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius, qui in saeculo remanet. — 87. Per solum autem ingressum in religionem, professione non secuta, non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis. — 88. Sexto, dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem sacrorum ordinum. — 89. Non dissolvuntur tamen per susceptionem ordinum minorum, saltem ex parte eos suscipientis. — 90. Per votum ingrediendæ religionis probabilius non dissolvuntur illico sponsalia, sed solum suspenduntur ex parte ipsius voventis. — 91. Per tale autem votum dissolvuntur illico ex parte non voventis. — 92. Per votum suscipiendi sacros ordines probabilius non dissolvuntur sponsalia ex parte voventis. — 93. Solvuntur tamen per tale votum ex parte sponsæ. — 94. Per votum simplex perpetuæ continentia non dissolvuntur sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. — 95. Septimo, dissolvuntur per matrimonium valide postea, licet illicite, contractum cum alia sponsa. — 96. An autem per tale matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, vel non? Affirmant multi. — 97. At tamen probabilius negant alii plures. — 98. Affertur et solvitur instantia. — 99. Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint iuramento confirmata. — 100. Prima sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, si secunda sponsa conscientia fuerit priorum sponsalium. — 101. Ino priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, et pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerunt contracta,

ignara fuerit priorum sponsalium, et consequenter fuerit decepta. — 102. Octavo, dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem, sive a sponso, sive a sponsa post sponsalia commissam. — 103. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem etiam ante sponsalia commissam, ab innocente tamen ignoratam. — 104. Adducitur et solvitur instantia. — 105. Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. — 106. Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus aut tactus impudicos a sponsa libere et voluntarie admissos vel exercitos. — 107. An autem, si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula, similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admerit vel exercuerit, et in omnibus casibus supradictis, in quibus licet sponso sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ; affirmant multi. — 108. At negant plures alii communius. — 109. Limitatur tamen recte hæc negativa sententia in casu, quo sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, ita ut valde vitiosus in hoc censeretur. — 110. Item in casu quo ex unica fornicatione prolem haberet. — 111. Item si oscula, tactus et amplexus impudici exerciti a sponso sint valde frequentes. — 112. Non dissolvuntur per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta spon-

(1. Sponsalia a *spondendo* sunt dicta, textu expresso in l. *Sponsalia* 2, ff. *De sponsalibus*, ibi: « Sponsalia autem dicta sunt a spondendo; » mos enim olim erat, et adhuc nunc est, ut cupiens uxorem ducere, eam peteret, ac petat prius ab illis sub cuius cura et potestate puella existeret, ac existit, et illi deinde ipsi petenti puellam in matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ac spondent, seu promittunt, cit. l. *Sponsalia* 2, ff. *De sponsalibus*, ibi: « Nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras. » \* Addi potest testimonium quoque Auli Gellii *Noct. Attic.*, lib. iv, cap. 4, qui antiquos sponsalium ritus declarat, et addit consuevisse actionem dari *ex sponsu*, si quis renuebat accipere in uxorem, vel si quæ nubere recusabat, et iudex æstimabat litem pecunia. *Vid.* etiam Gronov. ad Gellium., Brisson., in lib. *De rit. nupt.*; Plaut., in *Cur.*, act. ii, scen. 2\*. Unde ille, cui petita puella in uxorem spondebatur seu promittebatur, ac spondetur seu promittitur, dictus est et dicitur *sponsus*, et illa, quæ spondebatur seu promittebatur, ac spondetur seu promittitur, dicta est, et dicitur *sponsa*, id est promissa, textu expresso in leg. *Unde* 3, ff. *De sponsalibus*; ibi: « Unde sponsi sponsæque appellatio nata est. » Et illi qui petitam puellam sic promittebant ac promittunt, dicti sunt et dicuntur *sponsores*, et dies, in quo sic spondebatur ac spondetur, dictus est ac dicitur *sponsalis*. Reiffenstuel, lib. iv *Decret.*, tit. 1, § 1, n. 2, et alii arg. l. *Sponsalia* 1, et cit. l. *Sponsalia* 2, et l. *Unde* 2, ff. *De sponsalibus*.

(2. Sponsalia tripliciter potissimum sumuntur. Primo omnino improprie pro arrha scilicet, et muneribus, quæ a sponso sponsæ dabantur ac dantur, arg. l. *Quidam* 1, c. *Si nuptiæ ex rescripto*: « Qui parentum sponsonem de nuptiis filiarum implere deside-

salia. — 113. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis animi, ad num. 114. — 115. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis corporis. — 116. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis fortunæ. — 117. An una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior aut honoratior, possit propterea hæc ab illa resilire? — 118. Decimo, dissolvuntur per subsequens impedimentum dirimens. — 119. Tenetur tamen, qui tale impedimentum sua culpa posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. — 120. Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, per se loquendo iure communi non requiritur ad dissolvenda dicta sponsalia auctoritas iudicis. — 121. Potest tamen auctoritas iudicis ad id requiri per accidens. — 122. Quando sponsalia sunt certa, causa autem ea dissolvendi dubia de *jure*, vel *facto*, tunc necessario requiritur iudicis auctoritas pro utroque foro. — 123. Iudex in causis sponsalium, et matrimoniorum est solus ecclesiasticus. — 124. Et iure ordinario est solus episcopus. — 125. Nominè episcopi hic intelligitur etiam vicarius generalis etiam absque speciali ad id mandato. — 126. Item vicarius capitularis Sede vacante. — 127. Iudex autem laicus, seu sæcularis nullimode se ingerere potest in his causis. — 128. Alia ad rem ad num. 159.

rant, vel sponsalia, hoc est arrharum data nomine reddi præcepto legum cum statuta pœna deprecant. » Secundo minus proprie, pro ipso scilicet matrimonio rato et non consummato, arg. c. *Sicut* 22, et c. *Si inter* 31, *De sponsalibus*; ubi sicut et passim in iure matrimonium ratum *sponsalia de præsentis* dicitur ad distinctionem *sponsalium* proprie talium, quæ non sunt ipsum matrimonium jam rite contractum, sed sola sponsio seu promissio de eodem in futurum contrahendo, et propterea *sponsalia de futuro* appellantur, ad distinctionem *sponsalium de præsentis*. Tertio, proprie pro ipsa scilicet promissione futuri matrimonii.

(3. Unde sponsalia sic proprie accepta ita definiuntur: « Sponsalia sunt mentio et re-promissio nuptiarum futurarum. » Sic expresse in leg. *Sponsalia* 1, ff. *De sponsalibus*; et concordat c. *Nostrates* 3, caus. 30, quæst. 5, ibi: « Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio. » Et conveniunt in re doctores communiter sponsalia sic definientes: « Sponsalia sunt futuri matrimonii mutua deliberata promissio signo sensibili expressa inter personas de jure habiles. »

(4. Hinc ad valorem sponsalium de futuro plura requiruntur. Primo enim requiritur quod promissio futuri matrimonii sit vera ac seria, et non ficta seu simulata. *Communis*, arg. l. *Obligationum* 3, ff. *De action. et oblig.*, et c. *Ex sponsalibus* unic., *De sponsalibus* in 6, ubi sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus*, etc. *Ubi non est* 1, caus. 30, q. 2, ibi: « Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium, ergo qui pueris dant puellas in cuabulis, et e converso, nihil faciunt; » consensus autem internus vere contrahendi ac sese obligandi deest in fecte et simulate promittente, adeoque, etc.

(5. Nec valet, dicere, quod fecte et simu-



late promittens exhibuerit consensum externum, adeoque etiam ficta et simulata externa promissio sufficiat ad valorem sponsalium. Non valet, inquam, quia talis fictus et simulatus externus consensus sine formali consensu interno non sufficit ad valorem sponsalium, nec obligationem contrahendi de futuro inducit. *Communis*, text. exp. in c. *Tua nos* 28, De sponsalibus, hac addita ratione: « Cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, et deficit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale, » et l. *Simulate* 30, ff. *De ritu nuptiarum*, ibi: « Simulate nuptiæ nullius momenti sunt. » Et ratio clara desumitur ex can. *Humanæ aures* 13, caus. 31, q. 7, quia, ut ibi expresse dicitur: « quia non debet aliquis verba considerare, sed animum et intentionem; » et ut cantat eomune axioma, *Aclus agentium* non operantur ultra voluntatem eorum. l. *In agris* 19, ff. *De acquir. rer. domin.*, l. *Non omnis* 19, ff. *De rebus creditis*, capite *Cum olim* 38, De præbend.

6. Fictæ, seu simulate, aut jocose, vel dolose tantum promittens alteri matrimonium, quamvis in foro interno, seu coram Deo, et in foro conscientie non teneatur servare tale promissum per dicta et jura adducta *numero antecedenti*; peccat tamen sic promittendo, et tenetur resarcire totum damnum alteri inde secutum. *Communis*, per text. in cap. *Si culpa* 9, De injuriis et damno dato, ibi: « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata..... jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat; si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. » Et concordat cap. *Si rixati* 1, cap. *Si quis* 2, cap. *Si bos* 3, cap. *Si læserit* 4, cap. *Si egressus* 5, cap. *Si quis domum* 6, cap. *Olim* 7, cap. *In nostra* 8, eod. tit., cum similibus.

7. In foro autem externo quis præsumitur vere et serio promississe. Unde ad servandum promissum debet condemnari, nisi legitime fictionem seu simulationem, aut jocum seu dolum probet, quia, ut dicitur in l. *Labeo*, art. 7, § 2, ff. *De suppellectili legata*, in foro externo: « Nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit; » et ut habetur in l. *Generaliter* 13, eod. *De non numerata pecunia*: « Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. » Et ratio est quia alias, si ad id non condemnaretur, posset quis facillime in foro externo sponsalia eludere, et ex iis sibi incumbens onus nubendi prohibito subterfugere, dicendo se tantum fictæ, et simulate, aut jocose, seu fraudulentè promississe contra expressam dispositionem juris statutentis, quod fraus et dolus nemini patrocinarum debent, cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, cap. *Ex litte-*

*ris* 2, De dolo et contumacia, cap. *Tua* 12, De clericis non residentibus, l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, l. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*, l. *Si legatarius*, eod. *De legatis*, cum similibus. *Vide infra*, num. 46.

8. Secundo, ad valorem sponsalium requiritur, quod promissio sit deliberata et libera ab omni gravi metu, et errore circa personam. *Communis*, arg. cap. *Dilectus* 24, cap. *Tua nos* 26, De sponsalibus, l. *Furor* 8, De sponsalibus, cum similibus. Et ratio est, quia alias non potest intervenire legitimus requisitus voluntarius consensus.

9. Tertio, requiritur quod talis promissio sit verbis aut aliis signis externis sufficienter manifestata, quia promissio mera interna seu mente retenta, nec sufficit, nec obligat, cum intentio mente retenta nihil operetur in humanis contractibus. *Communis*, arg. l. *Cum in plures* 60, § *Locato*, ff. *Locati*.

10. Quarto, requiritur quod promissio sit mutua et reciproca ab utraque parte facta. *Communis*, arg. l. *Sponsalia*, 1, ff. *De sponsalibus*, ubi ut patet textu allato *supra* n. 3, sponsalia definiuntur, *mentio et repromissio*, id est mutua et reciproca partium promissio. \* Neque de jure civili satis erat, ut hæc promissio concurreret inter sponsum et sponsam, sed ulterius requirebatur consensus parentum, in quorum potestate erant l. 35, ff. *De rit. nupt.*, l. 12, eod. *De nuptiis*, ideoque plena tunc libertate non gaudebat matrimonium prout nunc; utrum magis expediat, an non, nostrum non est perscrutari\*.

11. Quinto, requiritur quod sponsalia contrahantur inter personas de jure sive, id est nullo impedimento perpetuo sive dirimente, sive solum impediendo affectas, habentes legitimam ætatem, ut docent doctores communiter.

12. Ætas autem legitima requisita, et sufficiens, tam in femina quam in masculo, pro contrahendis sponsalibus, est septennium completum. *Communis*, per textum in cap. *Litteras* 4, cap. *Accessit* 5, cap. *Ad dissolvendum* 13, De desponsatione impuberum in 6, c. *Ubi unie.*, caus. 30, q. 2, l. *Sponsalibus* 14, ff. *De sponsalibus*. \* Videri posset temporibus Augusti requisitum fuisse decennium, ut in Dione Cassio legitimus lib. iv. Verum hoc sancivit Augustus, non ut sponsalia ante hanc ætatem contracta irrita essent, sed ut qui talia sponsalia contraheret, quæ intra biennium non poterat exsequi, præmiis, quæ imperator per legem Juliam sponsis ac maritis indulgebat, non gauderet, ac pro cælibe haberetur, ut ex ipsa lege Julia eruitur, in quam vide interpretes, præsertim eruditum Heinneccium\*.

13. Unde sponsalia ante completum septennium unius aut utriusque ordinariè sunt invalida et nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, nisi liberi facti septennio majores ea ratificent. *Communis*, textu expresso in c. *Si infantes unie.*, De desponsatione impuberum in 6, ibi: « Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, et alter minor sponsalia contraxe-

runt ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare: sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt, et ideo cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicæ honestatis justitiam non inducunt: » et concordat can. *Ubi unie.*, caus. 30, q. 2.

14. Nec valet objicere, quod ex c. *Tua nos*, De desponsat. impuber., filius postquam pervenerit ad perfectam ætatem, debeat adimplere, non solum sponsalia, sed et matrimonium a patre loco illius, usum rationis nondum habentis, contractum. Non valet, inquam, quia, ut, *ibid.*, n. 7, advertit Fagnan. et communis canonistarum, dictus textus est intelligendus, quod filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non autem necessitatis.

15. Dicitur autem notanter, quod sponsalia contracta ante completum septennium sunt invalida *ordinariè*, quia extraordinariè possunt etiam talia sponsalia esse valida, si nempe in aliquibus malitia, seu potius prudentia (67) suppleat seu præveniat talem ætatem. Sicut enim valet matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia, seu prudentia suppleat, seu præveniat ipsam requisitam ætatem per dicta et certa jura adducta sub verbo MATRIMONIUM, art. 2, n. 22, ita a fortiori sic valere debent sponsalia. Ita Joan. Andreas, in cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, n. 9; Covarruv., p. 1, *De sponsalibus*, cap. 2, n. 1; Fagnan. lib. iv *Decretal.* in c. *Ubi non est* 2, De desponsat. impub., n. 5, ubi ex Navarr. testatur de communi; Sanchez, lib. 1, disp. 16, n. 9; Silvester, verb. *Sponsalia*, q. 2, dist. 2; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 1; Reiffenstuel, lib. iv *Decretal.*, tit. 2, n. 4, et communior aliorum contra paucos, arg. cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, ubi habetur, ex sponsalibus ab impubere minore septennio contractis, ortum esse impedimentum *publicæ honestatis*, adeoque fuisse valida, cum tale impedimentum non oriatur, nisi ex validis sponsalibus, tam de jure antiquo, arg. cit. cap. *Si infantes unie.*, De desponsatione impuberum in 6, quam novo concil. Trident., sess. xxiv, *De reformatione matrimonii*, c. 3. Unde si valida fuerunt talia sponsalia, hoc solum fuit, quia in ipso malitia, seu prudentia suppleverat, seu prævenerat ætatem, uti recte notat Glossa, in cit. cap. *Juvenis*, verb. *Dubia ad finem*; tum quia jura generaliter requirunt ad valorem sponsalium septennium completum, quia ordinariè ante illud tempus non censetur adesse usus rationis, defectu cujus non potest præberi ne-

(67) Phrasis hæc, *malitia supplet ætatem*, aliter intelligitur in sponsalibus, aliter in matrimonio. In ordine ad sponsalia, malitia vel potius prudentia, dicitur ætatem supplere, quando ante tempus a jure ad illa præscriptum adest sufficiens rationis usus. In ordine vero ad matrimonium, malitia supplet ætatem, quando ante tempus matrimonio præfixum, quod est in maribus an. 14, et in puellis ann. 12,

cessario requisitus consensus, arg. cit. cap. *Si infantes unie.*, De desponsat. impuber. in 6, ibi: « Cum sint nulla, ratione defectus consensus, » ergo quando malitia, seu prudentia extraordinariè supplet, seu prævenit ætatem, habetur sufficiens usus rationis, et consequenter sufficiens consensus requisitus ad valorem sponsalium; cum ratio legis sit anima legis; l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*; et ubi eadem est ratio eadem etiam debeat esse juris dispositio, l. *Illud*, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De transl. episcop.

\* Petrus Colet in continuat. *Prælectionum Honorati Tournely* in tract. *De matrimonio*, cap. 3, sect. 2, tom. VIII, pag. mihi 103: « Huic postremæ opinioni, inquit, facile adhæserim in locis ubi contraria certo usu inducta non fuerit, quod propter casum infrequentiam difficile est. Nihilominus auctor fuero, ut propter dubium, et Ecclesiæ reverentiam ad episcopum recurratur. Quamquam et satius fuerit, ut is pro virili obstet, ne sponsalia etiam a septennibus contrahantur. Parisiis tamen, Argentoracti, et aliis pluribus in locis, cautum est duntaxat, *ne affidentur impuberes, nisi saltem sint annorum 7 completorum.* »

16. Si duo impuberes septennio majores sponsalia contrahant, neuter ab illis ante pubertatem resilire potest, bene vero post illam. *Communis*, textu expresso in c. *De illis* 7, et c. *A nobis* 8, De desponsatione impuberum. 17. Nec in tali casu, qui primo fit pubes, tenetur alterum expectare, donec etiam ille pubescat, sed potest statim ac pubescit, pro libitu resilire, cit. cap. *De illis* 7, § *Si vero*; Glossa, *ibid.*, verb. *Minoris*, licet contrarium dicat *ibid.*, verb. *Cum sponsalia*; Sanchez, lib. 1 *De sponsalibus*, disp. 51, n. 9; Pirrhing, lib. iv *Decret.*, tit. 2, n. 6; Reiffenst., *ibid.*, n. 14, testans de communi. Et ratio est, quia frustra expectatur eventus, cujus nullus est effectus, cap. *Cum contingat* 36, De officio judicis delegati, adeoque si prius pubes factus potest altero pubertatem adepto resilire, poterit etiam statim. 18. Si autem pubes cum impubere contrahat sponsalia, tunc pubes non amplius resilire potest, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, textu expresso in cit. cap. *De illis* 7, § *Mulier*; et ratio differentie est, quia cum contractus possit ex parte impuberis claudicare, ideo in favorem ipsius tantum potest retractari, sicut si minor sine tutoris auctoritate contractum cum majore ineat, propter dictam rationem illi soli resilire permissum est, l. *Non eo minus* 14, De procuratoribus.

19. Impubes, quamvis ex dictis possit, utrobique completorum, non solum adest sufficiens rationis usus, ac judicii discretio, sed etiam prodit se potentia ad coitum et generationem; potentia hæc coeundi vocatur etiam pubertas naturalis, et hæc in quibusdam præcedit pubertatem legalem, id est ætatem, quam leges ex præsumptione communiter contingentium determinaverunt.